

cor quidem violenter vibrans, celeriter vero sanguinem per canales arteriarum impellens, fortiter eum perturbat, & omnes confertim humores, qui in visceribus & venis continentur ad motum incitat, indignas tunc molestias, stupende horribiles & impetuofas ac omnino perniciosas languentibus concitat; majorem quidem febrem & nauseam excitat; intollerabilem autem molestiam procreat iis anxietate graviter vexatis, per totam noctem. Talia vero molitur, quamvis ineffabiliter adgravata, ut maligna fecernens, ea vero extra corpus excernens, facile id & raptim a morbo liberet, & factum ab illo illico depellat; Tali enim modo haec sola difficiles morbos mirum in modum medicatur. Diebus autem ea operatur certis; tales vero sunt, nonus, undecimus, decimus quartus & decimus septimus, atque vicesimus ab ineunte morbo noxio, in quibus humores malignos crudos concoquit. Verum vel judicationem perfectam & laudabilem tunc peragit,